



# POLYANTHÆ NOVÆ LIBER XVI.

## Rapina.

### DEFINITIO ET ETYMOLOG.



**R**APINA, Gr. ἀπαρνήσις, & ἀε-  
ραξ, γος. ὁ, rapax, ἀεράζω, rapio  
dicitur. Hebr. *Gazel*. præda, ra-  
pina, spoliū, à verbo *Gazal*, vi  
rapiat, diripuit, spoliavit, Cogni-  
tionem habet cum *Gazal*, euul-  
sit, & *Gazal*, secuit; item cum  
*Zalal*, profuit holluando. Est au-  
tem rapina, rei alienæ per vim in-  
iusta ablatio. *sec. B. Thom. secund.*  
*Secund. q. 66. art. 8.*

Rapere proprie est, cum impe-  
tu quodam & violentia auferre. *Virgil. Raptus sine more Sabinas.*  
Ponitur etiam pro vitare, & proprie est de virginibus. Et sic raptus,  
vt est species luxuriæ, est quando puella de domo patris violenter  
abducitur, vt corrupta, matrimonio habeatur, siue ei siue parenti-  
bus violentia inferatur. *secund. B. Thom. secund. q. 15. art. 4.*

Raptus quandoq; est cum stupro, & quandoq; sine eo, vt in rap-  
tu viduæ, vel nuptæ, vel corruptæ. Et quandoque stuprum est sine  
rapu, si defloretur virgo sine vi. *Ex B. Thom. Sibi supra.*

Raptus est illicitus concubitus cum violentia. *secund. B. Thom.*  
*secund. q. 154. art. 8.*

Rapina, raptio, & raptus sic videntur differre, quod raptio ad  
personam refertur, rapina ad rem, raptus ad stuprum.

Rapacitas continetur sub violentia, cum sit species eius: quæ vio-  
lencia est filia auaritiæ. *Ex B. Thom. secund. q. 118. art. 8. c.*

Raptor dicitur proprie, qui rapit res immobiles, prædo vero mo-  
biles. Vnde rapina dicitur de rebus immobilibus, de prædatio au-  
tem de mobilibus & se mouentibus; vt animalibus & huiusmodi.  
*secundum Ioan. An. Large vero raptores dicuntur omnes publice  
& violenter res alienas de prædantes, tam mobiles quam immo-  
biles.*

Rapina quid à furto differat, vide supra in verbo Furtum.

#### ¶ LOCI BIBLICI.

Rapina damnatur, *Prou. 21. 7. & 22. 16. Esa. 33. 1. Exech. 22. 25.* Rapi-  
næ & intemperantiæ nomine intelliguntur. *Matth. 23. 15.* dapes ex  
alienis interuersis facultatibus ad luxum comparatæ.

#### ¶ PATRVM SENTENTIAE.

Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, vbi putas mit-  
tendus erit, qui inuasit alienam? Si cum diabolo ardet, qui nudum  
non vestiuit, vbi putas arsurus est, qui expoliavit? Non nocent ma-  
la præterita, si non placent. *Aug. de ver. Dom. c. 20.*

Si pœnale est clanculum auferre, multo maioris pœnæ est, vio-  
lenter eripere. *In serm.*

Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia  
latrocinia quid sunt, nisi praua regna? hoc malum tantum crescit,  
vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos sub-  
iuguet, & euidentius regni nomen assumit. Quod etiam in manife-  
sto confert non dempta cupiditas, sed addita impunitas, Ideo ele-  
ganter & veraciter Alexandro Magno quidam pirata comprehen-  
sus, respondit, cum ab eo interrogaretur, quid sibi, vt mare habe-  
ret infestum? ille libera voce, quid tibi inquit, vt orbem terrarum?  
sed ego quia exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna clas-  
se, imperator. *De Civ. Dei. l. 4.*

Nostri quoq; principes cum pauperes delinquentes publice ar-  
guant, & confundant, diuinibus peiora peccantibus nec nutum  
faciunt, in quorum domibus rapinæ sunt, dum Ecclesiæ opes sibi  
thesaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pau-  
perum dantur: & sibi reseruant, nec propinquis distribuunt, & alio-  
rum inopiam suas vel suorum faciunt diuitias. *In gloss. sup. Isa. 3.*

Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur, aut quid  
recipiet, qui alienum tulerit, si semper ardebit, qui de suo non de-

derit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit mi-  
sericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam. *Fulg.*

Sicut ovis tondentem se non increpat, ita nec iustus cupiditatem  
se expoliantis accusat. *Cass. in Psalm. 2.*

Pauperibus non dare tulisse est, & merito: quando non potest  
esurientibus subuenire, si non pascit, extinguit. Pudeat illis tollere  
quibus iubemur offerre. Ultra omnes crudelitates est, diuitem vel-  
le fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra: horreantur  
damnosa compendia. Nullus audeat inde tollere, quod debet  
collectum dispergere, addendo perdit, qui retinendo colligit, &  
paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repel-  
lit. *lib. 5. epist.*

Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod inuenerint, te-  
neant, & dicunt Deus mihi dedit: cui habeo reddere? discant hoc  
peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat. *Hieron. in  
lib. Lem. & hab. 14. q. 5. can. Multi.*

Nemo qui rapit, moriens (si habet unde reddat) saluatur, si eos  
quorum fuit, inuenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribu-  
at. *Hieron. ibid. can. Nemo qui.*

Si quis vfuram accipit, rapinam facit, vita non viuuit. *Ambr. in l.  
de bono mortis: & hab. 14. q. 4. can. Si quis.*

Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, vt cui est ablata, re-  
stituatur. *Ambr. ibid. q. 5. can. Rapinam.*

Pœnale est occulte auferre, multo maioris pœnæ est visibilibus e-  
ripere: auferre ergo nolenti siue occulte, siue palam, habet præce-  
ptum suum. Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita v-  
surpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit, qui furtum pro-  
hibuit, sed vtique furti nomine in lege veteris testamenti & rapi-  
nam intelligi voluit. A parte enim totum significauit, quicquid  
illicite rerum proximo aufertur. *Aug. l. 4. Exod. & hab. 14. q. 5. can.  
Pœnale.*

Si quod inuenisti, non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti,  
fecisti: quia plus non inuenisti, ideo plus non rapuisti: qui alienum  
negat, si posset, tolleret. Deus cor interrogat, non manum. *Ibid. c.  
Si quis.*

Forte aliquis cogitat & dicit: Multi sunt Christiani diuites, aua-  
ri, cupidi, non habebunt peccatum, si suum illis abstulero, & paupe-  
ribus dederero. Vnde enim illi nil boni agunt, mercedem habere po-  
terero: sed huiusmodi cogitatio à diaboli calliditate suggeritur, Nam  
si totum tribuat pauperibus quod abstulerat, addit potius pecca-  
tum quam minuat. *Aug. & hab. 14. q. 5. can. Forte aliquis.*

#### ¶ POETARVM DICTA.

Rapina.

Quid. i. Amor. 8.

*Certior è multis, nec tam inuidiosa rapina est,*

*Præda venit cano de grege plena lupis.*

Idem Amor. 10.

*Carpite de plenis pendentes vitibus quas:*

*Prebeat Alcinoi pomæ benignus ager.*

Tibull. i. i.

*At vos exiguo pecori furesque lupisque*

*Parcite: de magno præda petenda grege.*

#### ¶ SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Quis dicat vile, hominem incommodo alterius suum commo-  
dum agere, & alterum alteri aliquid detrahere? hoc est magis con-  
tra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor. Nam prin-  
cipio conuictum hominum tollit. Si enim hæc affectio nobis insit,  
vt quisq; propter suum emolumentum spoliaret aut violet alterum,  
necesse est dirumpi societatem humani generis, quæ est secundum  
naturam: vt si vnumquodq; membrum putaret se plus valere, si  
proximi membri ad se valetudinem traduxisset, debilitari & interi-  
re totum corpus necesse esset: ita est & in humana societate: nam  
sicut concessum est vt quisque malit sibi acquirere, quod ad vsum  
vitæ pertineat, quam alteri, & hoc natura non repugnante: ita non  
patitur natura, vt aliorum spoliis nostras facultates augeamus. Et  
si contra naturam magis detrahere alteri, sui commodi causa, quam

AAAAA 3

mors